

NAENIA  
SVPER HONO-  
RANDVM VIRVM

D. NICOLAVM THOBIAE ZLV-  
TICENVM, VRBIS ZATECENAE  
Civem II. Maij, Anno 1591. vitā  
functum Parentem charissi-  
mum posita.

A  
VALENTINO THOBIAE  
Zateceno. F.

ERGONE tartareā subitō, venerande Megarā  
Percitus, hanc lucem, despiciendo cadis?  
Nulla animum posthac res erigat, optima quando  
Terribili Lachesis perdit iniqua manu.  
Te mihi, te Patriæ plures superesse per annos  
Quid vetuit? fatis occidis ante diem.  
Te mihi conarer lacrymis reuocare sub auras  
Atherias, sisas flectere fata foret.  
Quid queror hæc, requies Christo Duce nam tibi tuta  
Quæ simili reliquos conditione manet.

P R A G Æ, Excudebat Ioan-  
nes Schuman 1591.









O quot, ut hæc mundi cœpit digesta figuram  
 Machina, lege trucidis deperire necis.  
 Ceu flos enatus sub Phœbi nascimur ortu:  
 Cogimur hoc rursum mox abeunte, mori.  
 Hac omnes fati truculenrâ Lege tenemur  
 Et quicquid tellus, quicquid & æquor habet.  
 Hæc jus in Reges quos aurea purpura velat  
 Et quos obscurat trita lacerna, gerit.  
 Hanc ratio flectet venerandæ nulla senectæ  
 Vlla nec in viridi flore iuventa movet.  
 Scilicet is superis labor est, ea gaudia rident,  
 Plasma suum condant nunc, iterumque necent.  
 Ausu, primus Adam cunctis induxit, iniquo  
 Exitium, carpens poma negata manu.  
 Hinc Erebi sese pallentibus extulit umbris  
 Mors, hinc & cunctos lethifer ensis agit.  
 Ne tamen æternum non hic cruciemur Eryant,  
 Per Christum redimus rursus in astra patet.  
 Corporis ante mori laxa compage necesse est  
 Omnes, ac gelidi busta subire soli.  
 Machina dum mundi rursum confidat in ignem,  
 Et linquant vitæ quisque sepulchra suæ.  
 Sancta pios læti capient habitacula cœli,  
 Absorbensque malos rupta dehiscet humus.  
 Sic tu sancte senex perfunctus munere vitæ,  
 Parcarum stricta lege peremptus abis:  
 Lege peremptus abis moriens, sic fata volebant  
 Cœlorum magni sic voluere Dij.  
 Aevi maturus jam mundi linquito terras,  
 Omne tenet passim nil nisi terra malum.  
 Felix morte tua, nec in hunc servare tenorem:  
 Aspicias oculis ut mala tanta tuis,  
 I, pete, de cuius capisti viscere, terram  
 Corpore, fidereos mente subito lares.  
 Hos tua promeruit pleras in numina Cœli,  
 Hosque tibi defert gratia larga Dei.  
 I, tua canities pia candens tempora frontis  
 Expleat æthereos, i, venerande, choros.

Hæc

Hæc bona verba tuo mæsti libamus honori,  
 Hæc pietas summum manibus esto tuis.  
 Salve stelligeri salve novus incola cœli,  
 Aeternis salve condecorate bonis.  
 Purpureis tellus fragranter amiciat herbis,  
 Exopto, tumuli mæsta sepulchra tui:  
 Floribus æternum violæque rosæque nitescant,  
 Iucundis nec non laurea virga tuis.  
 Ut sic gramineo mollescat cespite tellus  
 Castalio præbens dulce cubile gregi.  
 Adsint & Charites, adsint & numina ruris.  
 Lugubri dantes talia verba sono.  
 Hic iacet Oegranæ, non vltima gloria ripæ  
 Eius perpetuum molliter ossa cubent.

Petrus Hebetis Prachaticenus.

## ALIVD.

**A**Nne foret potius, nunquam prodire sub auras.  
 Moxve mori natum quæstio prisca fuit.  
 Pars bona, longæve impatiens ingrataque vitæ,  
 Illud, conditio Mors quia dura, probat.  
 Pars hominum major, crudelis prodiga fati,  
 Istud conditio vita quod acris, amat.  
 Dic venerande senex expertus secula vitæ,  
 (Vera nisi expertus dicere nemo potest)  
 Expertus Mortem & Cœlum dic optime iudex  
 Hæc est arbitrio lis dirimenda tuo.  
 Dixi: suscepit: lætor quod cernere lucem  
 Indulfit mihi sors: vivere posse dedit.  
 Sors divina dedit canæ superare senectæ,  
 Scissaque rugosis tempora ferre notis.  
 Quod nisi natus eram: non clara sede Polorum  
 Non erat æternum cœlite sorte frui.  
 Infantem teneris raperet Proserpina cunis:  
 Tunc me Vita, Deus, Morsque lateret iners,  
 Ipsaque Mors præcox, quam nunc crudelior esse,

A 3

Corporis



Corporis in summis perpetienda malis.  
Poma cadunt per se maturo prædita succo,  
Crudaque vix dextrâ concutiente ruunt:  
Vita cadit pariter, maturum nacta vigorem,  
Sic mihi Mors lenis, non violenta fuit.  
Crede mihi, dulce est cœli prodire sub auras.  
Et longum dulce est viuere, dulce mori.

Vencefflaus Zabonius à Vyffeti-  
no Raudnicenus.

### ALIVD.

VMbra velut roseo Eois surgente Caminis

Surgit, & in præceps, sole cadente, cadit.  
Sic homo divini postquam haurit muneris usum  
Sub terras, subita morte peremptus, abit.  
Non bene facta movere animum, non splendida possunt  
Tecta, neque æquoreo quod fovet unda sinu.  
Scilicet hæc primi meruere patrata Parentis  
Hæc eadem nostræ Conditionis opus.  
At tamen æternæ facit hæc ad gaudia vitæ  
Sors, miseros summi mittit ad astra poli-  
Aerumnas minuit, quamvis videatur iniqua,  
Præmiaque Angelici donat habere chori.  
Dum modò legiferi, tenues abiturus in auras  
Evolvat studio dogmata sacra, ducis.  
Nec si versa retrò rerum discordia gliscat  
Inque soli Cœli viscera signa ruant.  
Spectabit torvo lethæo rore madentem,  
Lumine, per vacuum quæ cadit æthrâ comam.  
Neve ubi jus veniet iudex in nube serena  
Dicere, Cœnosa de Flegetonte biber.  
Neve animos dolor exuret, neve ora cruentus  
Languida signabit, corde micante, pudor.  
Sed subito ætheræ, donatus munere, lucis,  
Aeterni referet, sacra vetusta, Dei  
Tot decora, artificumque manus mirabitur, astris  
Vallatus. liquidi culta videbit humi.  
Hic cœu, post obitus cœlesti sede receptus  
Ingeminat calamis sibila disparibus.

Ante

Ante Dei vultus, cætu comitatus ovanti  
Per lustrat sacrum, qua via nulla, nemus  
Zluticio genitus, manitus Apollonis arcu  
Niclaüs, Zacensî clausus, amicus, humo.  
Ergo lethææ lacerent ne oblivæ ripæ  
Nec totum in cineres vertat avara dies  
Promeritis vmbræ hæc supremi Ianus amoris  
Sequenides, grato pectore, munus hiat.  
Viue Deo, cuius virtus, actusque probandi  
Majus post cineres emeruere decus.

### ETEOSTICHON.

FILa NICoLaI parCæ se CV ère sene Citz  
Vt MaII roseo LVX VenIt orbe seq V ens.

Iohannes Sequenides Czernovicenus.

### II. MAII MORITVR NICOLAVS

Zluticenus Civis Zacensîs, optimus fautor ac Pater  
studiorum, in cuius obitum hæc sub persona  
defuncti scribebat.

ERgone me voluit divum Pater atq; hominū Rex

Hactenus humanas sustinuisse cruces?  
ERgone jam voluit mentem de corpore tolli,  
Singulaque in proprias ista redire domos?  
Sic voluit genitor Divum: jam viximus ergo,  
Inque tuam corpus mensq; redito domum.  
Mens mihi cœlestis venisti sedibus oræ:  
Ergo cœlestes es reditura domos.  
Corpusque è tenui desumptum ut pulvere terræ es,  
Sic isto rursus tempore pulvis eris.  
Hæc mihi sic de me dudum sententia nata est,  
Nec quis vel possit vel dubitare velit.  
Firmaq; de Domini facta hæc sententia verbo est  
Verbum non fallit, credita nostra, Dei,  
In Christi, omnis (ait) credens se tingite nomen  
Qui cupit ex hujus sanguine salvus erit.

Credit



Credidit, & pactis tuta est mens nostra sub istis,  
Seque fide sacris miscuit ausa vadis.  
Salua est ergo etiam Christo mihi iudice caussa  
Atque anima electos inter habenda Dei est.  
Sex quater electos, omni polus, ordine canos  
Excipit, hic curæ res ubi quæque Deo est.  
Hic mihi certus erit viuendi credite limes  
Hos mihi certa inter credite vita senes,  
Iohannes Samuelides Slaneus.

MONUMENTVM HONESTI AC ERVDITI  
Iuuenis Ioannis Samuelidæ Slanei studia literarum in Schola  
Zatecensi gnauiter tractantis 9 Iulij defuncti.

Ante diem moritur, properans virtutis ad arcem,  
Qui mihi Theseo iunctus amore fuit.  
O spes fallaces, ô frivola gloria mundi  
Siccine Virtutis Morte paratur honos?  
Quid iuvat in studijs totas consumere noctes,  
Sæpe sitim potus ferre, famemq, cibi?  
Si rebus partis bene, non conceditur uti?  
Si Mors Virtutis splendida lucra rapit?  
I, licet, Aonijs iuuet intabescere chartis,  
Morsq, tuum solers conteret atra caput.  
Fallor? an una manent virtutis præmia fama?  
Post obitus famâ IANE fruare bonâ.  
Qui sapis, ingenuâ famam virtute require.  
Vivis, seu moreris, funere fama caret.  
V. Z. à. V. R.

Tu quoque maturi dum desles funera amici  
Ipse immaturo funere merfus abis  
O nimium felix cui fas comitem ire per umbras  
Et tanto tanti muneri adesse senis  
Quem ni tam subita rapuisset perfida dextra  
Parca, eheu patriæ gloria quantus eras!  
Vicisti: invisa, victor post tædia, lucis  
Impiger optati gaudia carpe poli.


Matthias Mnisset Pragenus.

FINIS.



47.  
IN OBITU M  
BONÆ INDOLIS  
PVERI VENCESILAI HAV-  
ska, Clarissimi viri Domini Dionysii  
Hauska, Budini filioli: amoris  
ergo amici. P:

Septembris ad Dlos q Varto Vibra Vlt ab or-  
Vt Vens Lâ Vsterrls, regna beata petlt (tV



LECTORI.

Vna dies nasci, condi dabit vna sepulcro:  
Vna omnes sistet, iudicis ante thronū,  
Vnica iudicio cum sit lux, vnica morti  
Quæ placeat Christo sit tibi multa dies.

G. C

PRAGÆ Excudebat Iohannes  
Schumann. 1590.